



VENTURAS CONCIOLUS

MEDICUS PHYSICUS UR-
BINAS CANDIDO LE-
CTORI.

S. P. D.



N tibi, candidissime Lector, Baldi Angeli
Abbatij doctissimum & utilissimum de
Viperæ natura libellum, cujus tanto de-
siderio flagrant mortales, ut si hunc u-
num habeant, nulli ferè morborum ge-
neri amplius se subjectos esse sperent.

Nec injuria; quòd ex eo Auctoris nostri non solùm ingenij
celeres quosdam motus ad excogitandum acutos, & ad ex-
plicandum uberes, sed etiam in totum genus humanum exi-
mium animum, & voluntatem ad bene merendum mirabi-
liter propensam facilè cognosces. Quoniam ad hoc opus
sane quam spissum & laboriosum non Græcorum & Lati-
norum modò libros omnes evolvit, & aliquorum ineptias,
quæ sunt innumerabiles, argutissimè disputando pepulit, ve-
rùm etiam rem tantam usu ipso quæsivit, quæsitam invenit,
inventam cognovit, cognitam patefecit. Quantum igitur
laborum tulerit, quantum pro communibus commodis su-
daverit; quantum sumptum fecerit; tuum sit judicium, opti-
me Lector: præsertim cum, quo anni tempore capienda sit
Vipera, quibus in corporis partibus secanda, quæ vis ejus,
quæ medicamenta parentur, apertissimè & planissimè ex-
plicet; & quò majus beneficium suum faceret, æneas tabu-